

firmo autem non multum valet, **20** quoniam **cappo** non satis laborat, sed semper in quiete est, unde etiam et carnes eius tanto fortiores sunt. **21** Et iecor tam galline quam galli sepe comestum, contra omnes infirmitates valet, que hominem interius ledunt. **22** Iecor enim galli et galline durum non est **23** et infirmitates interius in homine induratas solvit. Et quoniam gallus de aere terrestrium animalium est, ea que in terrenis in utilitate conveniunt, per tempora discernit et etiam auram intelligit. Ipse enim in sensibilitate sua velut quandam scripturam et velut quandam ostensionem temporum et aurarum habet. Et etiam voce suam auram advocat, cum eam appropinquare novit. Sensibilitatem autem istam quam gallus habet, gallinaceus et gallina pre debilitate sua non tenent. **24** Et penne gallinarum ad lectos et ad cervicalia male sunt, quia **gicht** in homine illo excitant, qui desuper incumbit. Cetera autem que in eis sunt ad medicamentum tantum non multum valent. **25** *Quelibet ova volatilibus magis frigide quam calide nature sunt, et ad comedendum nociva sunt, sed ova gallinarum que domesticæ sunt, comedi poterunt, sed tamen moderate. Sed qui infirmus est, si ova comedere voluerit, aquam et vinum commisceat, et in patella fervere faciat, et ova hoc modo testa abiecta coquat, et cum non ledent. **26** Homo autem qui dissenteriam habet, vitellum ovorum tantum et non albuginem in scutella terendo pulset, et cimum et modicum pipers addat, et iterum in testas ovorum reponat, et ad ignem asset, et dolenti, postquam modicum comederit, ad manducandum tribuat. **27** Sed ab aqua interm se abstineat. **28** Quicquid autem idem infirmus interm comedit, calida sint et mollia, **29** que suavem saporem habent, manducet, **30** scilicet pullos gallinarum et ceteras molles carnes et pisces, sed allic et salmonem devitet, et bovinas carnes et caseum, et cruda et grossa olera et porrum et stiliginem et ordaceum panem et quicquid assum est, preter assum primum, non comedat et vinum bibat. **31** Sed si quis fluxum sanguinis habet, duos vitellos ovorum galline distemperet, et sucum **metre** quantum medietas unius vitelli est addat, et acetum quantum due teste ovi capiunt, et modicum de pulvere cinamomi, et minus de pulvere **zivaris**, et sorbicum / **suffum** aliquantum spissum inde pareat, et modice calidum tam leivnus quam pransus sorbeat, et melius habebit **32** si sepe hoc fecerit, aut deus non vult. **33** Sumat etiam alios vitellos ovorum, et ad ignem in sartagine ab eis saginem exprimat, et cum illo et cum pura farina simile factis fortillis, post modicum cibum illos manducet, quia saginem vitellorum cum calore et fortitudine simile temperatum eandem solutionem sedat.*

Urum calidum et aliquantum humidum est, **2** et in aere ac in terra versatur, **3** et ideo tam infirmis quam sanis in comestione bonum est. **4** Et si **maden** aut alii vermes hominem comedunt, vesicam **urhues** in pulverem redige, et pulverem istum in locum ulcerum illorum pone, et cum de pulvere isto gustaverint morientur.